

periculum abest peccandi. Hunc tamen errorem idcirco arbitrantur in eam cadere posse, quod expressa non sit in verbo Divino materialis erroris in cultu publico immunitas. Nunc ita necto. Non peccabit Ecclesia, si dogma proponat, quod esse verum existimet argumentis adducta probabilibus; rametsi possit errare materialiter: quod si contingat, crimine caret. Rursus erroris materialis immunitas non est Ecclesiae diserte promissa in decernendis articulis fidei. Quid enim habent hujusmodi verba illa Divina (a), *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*; aut illa (b), *Docebit vos* (Spiritus Sanctus) *omnem veritatem, & suggeret vobis omnia*? Possem enim distinguere, ac veritatem omnem objectivam paterfieri Ecclesiae a Spiritu Sancto negare; veritatem probabilem, quae plausibilibus nixa sit argumentis, concedere: hanc enim sufficere ad animos populi Christiani informandos, & in officio continendos. Vides igitur, ab istis Theologis nihil reliquum fieri Pontifici Maximo, nihil Ecclesiae, si, quod invicte probatum est, materiale errorem coguntur ipsis affingere in rebus fidei. Quod si sequitur necessario, quid tandem interit privatus homo ab Ecclesia, & Pontifice Maximo? Nam privati falli possunt interdum, non solum in iis, quae ad mores pertinent, Christianaeque virtutis exercitium, sed etiam in rebus fidei. Exempli causa, qui stipem erogat nebuloni cuiquam, qui cum sit dives, pauperis habitum ementitur, materialiter errat: non enim sublevat hominis egestatem: nec tamen peccat, quin etiam meretur, quod probabiliter ductus argumento charitatem exerceat. Rursus agrestis, ubi a Parocho audierit, quatuor esse Personas Divinas, aut decem Ecclesiae Sacramenta, errabit profecto, si assensum praestiterit; sed hic error, quippe dumtaxat materialis, erit innoxius.

Respondeant, quaso, huic uni argumento importuni libellatores, qui paucorum factionem dum confidenter, ac perfracte sustineant, nihil pensi habent; qui Romani Pontifi-

(a) *Luca cap. 22.*(b) *Joann. c. 14. § 16.*